



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Synodus Landavensis Svb Patre Vigesimo Qvinto Ibidem Episcopo Habita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

Refellitur  
obiectio.

pontifex ob vitam non satis integram, per Conciliabulum Ottonis imperatoris auctoritate collectum, recte & legitime depositus, & Leo eius nominis octauus eidem iuste subrogatus fuerit. Si dicas Leonem hunc communi scriptorum sententia & consensu inter Romanos pontifices numerari, Leonemque octauum nominari, adeoque temerarium esse, qui ab ista vulgari opinione dissentit, respondeo: Scriptorum error veritati nihil præiudicare potest. Nam sicut canis aliquis Leonis nomine insignitus, vel etiam in numerum leonum relatus, per solam nominationem vel numerationem canis naturam non immutaret, neque leo esse inciperet, ita non incipiet esse verus Leo pontifex eius nominis octauus, quem errantium scriptorum communis sententia inter pontifices veros numerat, & Leonem octauum nominat. Ab eo enim quod res est vel non est, rectissime, inquit Aristoteles, oratio vera est vel falsa. Simili censura perstringatur quidquid de iuribus vel constitutionibus huius pseudopapæ inconsiderate nimis suo more Gratianus & ignoranter Crantzius scripserunt locis quæ infra in notis Pseudosynodi Lateranensis sub Benedicto V. assignabimus.

Gratianus  
& Crantz-  
ius redar-  
guuntur.ANNO  
CHRISTI  
964.

## SYNODVS LANDAVENTSIS

SVB PATRE VIGESIMO QVINTO

IBIDEM EPISCOPO HABITA.

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
...

*Ex causa diaconi cuiusdam ante ipsum altare  
sacrilege interfecti.*

**A**NNO DCCCCLV. indictione XIII. a natiuitate Domini hoc nefarium opus factum est: in diebus enim Nougui filii Guriat atque Patris episcopi sedis episcopalis famosissimæ quæ ad ripam Tauri fluminis posita est, quadam die tempore messis quidam diaconus nomine Ili filius Beli, quem in vno eodemque anno ordinauit episcopus, transiens per segetes, obuiauit ei quidam rusticus nomine Merdutir filius Iuduc, vituperando dicens, ait: Quid tibi timidissime, & armis? Dum verbis vituperationis colloquebantur, irruit Merdutir in eum extendens manum ad gladium eius, gladio euaginato succidit digitum illius diaconi. Deriuante autem sanguine eius, ait ad eum: Reuerte ad me, vt liges digitum meum. Conuertens autem ad eum, & ligans digitum eius, iugulauit eum diaconus, & statim defunctus est. Ipse autem diaconus vertens se in fugam, declinavit ad ecclesiam sanctorum Iarmen & Febric, refugium inquirens. Dum autem hæc aguntur, nuntiatum est  
ami-

CIRCA  
 ANNUM  
 CHRISTI

cis defuncti. Postea congregati sunt amicorum eius multi, & conati sunt frangere ecclesiam in qua erat diaconus. Tunc adfuit famosissimus ille vir Bledcuirit filius Enniaun, qui prohibuit eos ne ecclesiam frangerent, quod scelus erat dictu. Nouissime vero adfuerunt sex viri de familia Nougui, quorum autem sunt nomina, Birtulf & Britilm frater eius, Budat & Biguan filius eius, & alii duo fratres filii Cunulic, Guodcun, & Alla. Statim venientes irruerunt in ecclesiam, & occiderunt diaconum ante altare sanctorum, scelus dictu, resperso sanguine in altari & in parietibus ecclesiae.

Diaconus  
 ante ipsum  
 altare occi-  
 ditur.

His malis peractis, nuntiatum est episcopo qui tunc morabatur apud Houel Britannicum regem in regione Bracham. Ipse statim vt audiuit, transmisit nuntios ad monasteria omnium priuinciarum totius parochiae infra ostium *Taratir ig gny* vsque ad ripam *Tingui*: quarum obedientiae subiectae sunt ecclesiae Landauiae & sanctis eiusdem Dubricii, Teliui, Oudocei, & Patri episcopo, & omnibus episcopis succedentibus in perpetuo, vt congregarentur sacerdotes, diaconi, & omnes gradus ecclesiastici in vnum conuenirent. Audiente quoque Nougui cum optimatibus suis totius ecclesiae maledictionem irruentem in se, & descendentem super eum, non audens tale pondus maledictionis sustinere, inuito consilio cum doctissimis regionis suae, & legatis transmissis, appellauit episcopum ad se. Postea vero obuierunt sibi Nougui & episcopus cum optimatibus suis in Guentionia vrbe, & ex consilio omnium doctorum vtriusque partis dati sunt illi sex viri crudeles in manu episcopi. Adducti sunt ad monasterium sancti Teliui, illis facientibus sex menses in ferreis carceribus. Nougui iterum postulauit vt adducerentur viri illi ad supradictum monasterium, in quo occiderunt diaconum, & illic diuinum iudicium acciperent.

Episcopus  
 Synodum  
 indicit.

Synodo quoque iudicante definitum est, vt vnusquisque eorum suum agrum, suamque totam substantiam, insuper & precium animae suae, hoc est septem libras argenti redderet ecclesiae quam maculauerat. Sed hoc praetereundum non est, quod ante iudicium, redacti sunt viri illi Idguallaun filius Moruid, & Guinan, Iunathan, & Guelfird, tres filii Ceretic, & totus ager generationis

Iudicium in  
 homicidas  
 sacrilegos.

Prædiorum  
 collatio.

Guoruot, cum campo & fontibus, cum filuis & accipi-  
tribus, cum omni censu qui antea dabatur regi, in manu  
episcopi, & in potestate ecclesie sancti Teliaui. Determi-  
nantibus omnibus diuino iudicio surrexit episcopus in  
medio, & omnes steterunt iuxta eum, tenentes euange-  
lium, & ait ad Nougui: Pone manum tuam super hoc euange-  
lium. Et extendit Nougui manum super euange-  
lium, dicens: Sit hæc terra cum incolis suis in sempiterna  
consecratione Deo & sanctis Dubricio, Teliauo, & Ou-  
doceo, & Patri episcopo, & omnibus episcopis Landa-  
uia, libera ab omni laicali seruitio, nisi tantum oratione  
quotidiana in perpetuo. De clericis testes sunt Pater epi-  
scopus, Dium sacerdos, Diffaith lector, &c. De laicis  
Nougui rex, &c. Quicumque custodierit, custodiat illum  
Deus. Qui autem ab ecclesia Landauia se separauerit, ana-  
thema sit. Amen.

## CONCILIVM BRANDANFORDIÆ

AB EDGARO REGE CONVOCATVM,  
in quo Edvini regis decreta rescinduntur, ablata ec-  
clesie restituntur, & Dunstanus ab exilio reuocatur.

Ex Osbur-  
no & Mal,  
mesb.

**N**ON occurrunt in Concilio actorum formula: breuiter autem sic  
notantur in antiquitatibus Britannicæ ecclesie cap. 23. In-  
rerea Mercii & Norrenses, ac inter Humbrum & Thame-  
sim mediterranei, in regem Edvvinum arma capiunt. A  
quibus autem hic tumultus motus fuerat, monachi caute  
omittunt. In hoc tumultu Edgarus regis frater regni par-  
tem obtinet. Hi multis vtrimque illatis præliis regni vires  
labefactarunt, sed Edgarus tandem potior, conuocato ad  
Brandanfordiam regni Concilio, fratris Edvini acta &  
decreta rescindit, ablatas ecclesiis & monasteriis opes re-  
stituit, Dunstanumque ab exilio ad pristinum honorem  
reuocat, deinde ad episcopatum Vvigornensem nolentem,  
vt aiunt, & volentem promouit, postea ad Londi-  
nensem, tandem biennio vix transacto ad Cantuarien-  
sem archipræsulatum, &c.